

HIERONYMVS

BVSLIDIVS THOMAE

MORO S. D.



NON SAT FVIT ORNATISSIME
 More, olim omnem curam, operam,
 studium, intulisse in rem & cōmodū
 singulorū, nisi uel ea (quæ tua pietas
 & liberalitas est) conferres in uniuersum,
 ratus hoc (tuū qualecuncq; foret)
 beneficium, eo maiorem hinc mereri fauorem,
 uenari gratiam, aucupari gloriam, quāto illud & latius propa-
 gatum, & in plures distributum, pluribus esset profutu-
 rum. Quod & si aliās semper præstare contenderis, ta-
 men id maxime es nuper mira felicitate adsecutus, scili-
 cet pomeridiano illo sermone abs te in literas relato.
 Quem de recte & bene cōstituta (ab omnibus expeten-
 da) Vtopiēsium Rep. ædidisti. In cuius pulcherrimi in-
 stituti felici descriptiōe nihil est, in quo uel summa eru-
 ditio, uel absoluta rerum humanarū peritia desyderari
 possit. Quando ea quidē ambo in illo tanta paritate &
 æquabili congressu cōcurrunt, ut neutro alteri herbam
 porrigente, utrunq; æquo Marte de gloria contendat.
 Tam si quidē multifaria polles doctrina, Rursum tam
 multa, eaq; certa rerū peritia, ut prorsus expertus affir-

HIERONYMI BVSLIDII

mes quicquid scripseris, doctissime scribas, quicquid
 affirmandum destinaueris. Mira profecto, raraque felici-
 tas, ac planè eo rarior, quo magis ipsa sese inuidens plu-
 rimis, nō præbet nisi raris. Maxime ijs, qui sicut cando-
 re uelint, ita eruditione sciant, fide queât, autoritate pos-
 sint, tam pie, recte, prouide, in cōmune cōsulere, sicut tu
 iam facis probe, qui quod nō solum tibi, uerū etiam to-
 ti te gentium orbi existimas, operæ præciū duxeris, hoc
 tuo pulcherrimo merito, uel totū ipsum orbem deme-
 reri, qd' præstare alia ratione neque rectius, neque melius
 potuisses, quā ipsis mortalibus ratione pollentibus, eam
 Reip. ideam, eam morū formulam, absolutissimū inque
 simulacrum præscribere, quo nullo unquam in orbe uisum
 sit, uel salubrius institutū, uel magis absolutū, uel quod
 magis expetendum uideatur, ut pote multo quidē præ-
 stante, atque longo post se interuallo relinquēte, tot cele-
 bratissimas, tantopere decantatas Lacedæmoniorum,
 Atheniēsium, Romanorū, respublicas. Quæ si iisdem
 essent auspicijs auspicata, iisdē (quibus hæc tua Resp.)
 institutis, legibus, decretis, moribus, moderata. Profe-
 cto hæc nō dum labefactata & solo æquata. Iam pro-
 dolor citra spem omnem instaurationis extinctæ iace-
 rent. Sed cōtra, incolumes adhuc, beata, felices, fortuna-
 tissime agerent. Interim rerum dominæ, suū late impe-
 rium terra marique sortita. Quarū quidem rerū publi-
 carum, tu miserandā miseratus sortē, ne alia itidē (quæ
 hodie

hodie rerum potitæ summū tenent) parem sustinerent
 uicem, prospicere uoluisti, scilicet hac tua absolutissima
 republica, quæ nō tam in condendis legibus, quæ uel pro
 batissimis magistratibus formandis, maxime elabora-
 uit. Nec id quidē ab re, quādo alioqui sine illis omnes
 (uel optimæ) leges, si Platoni credimus, mortuæ cense-
 rentur, præsertim ad quorum magistratuū simulacrū,
 probitatis specimen, exemplar morū, iustitiæ imaginē,
 totus status, & rectus tenor cuiusuis absolutæ Reip. sit
 effingendus. In quo in primis concurrant, prudentia in
 optimatibus, fortitudo in militibus, temperantia in sin-
 gulis, iustitia in omnibus. quibus quū tua (quā tantope
 re celebras) respublica sit tam pulcherrime, ut liquet, cō-
 posita. Non mirū si hinc ueniat non solū multis timen-
 da, sed & cunctis gentibus ueneranda, simul omnibus
 sæculis prædicanda. Idcirco eo magis, quod in ea omnis
 proprietatis cōtentione sublata, nulli sit quippiam pro-
 prij. Cæterum in rem ipsam cōmunem, communia sunt
 omnibus omnia, Adeo ut omnis res, quæuis actio seu
 publica, seu priuata, non ad multorū cupiditatem, non
 ad paucorū libidinem spectet, sed ad unam iustitiam,
 æquabilitatem, cōmunionem sustinendam (quantula-
 cunq; sit) tota referat. Quo illa integre relata, omnis ma-
 teries, fax & fomes, ambitus, luxus, inuidentiæ, iniuriæ
 faceffat necesse est. In quæ nonnunquam, aut priuata rerū
 possessio, aut ardens habendi sitis, omniumq; miserrima rerum

ma rerum ambitio, mortales (uel reluctātes) protrudit,
 maximo suo, idēq; incomparabili malo. Quando hinc
 sæpenumero dissensiones animorū, motus armorum,
 & bella plusq; ciuilia derepente oriantur. Quibus non
 solum florentissimus status beatissimarū Rerūp. fun-
 ditus pessundatur, uerum illarum olim parta gloria,
 acti triumphī, clara trophea, totiesq; opima spolia, de
 uictis hostibus relata, penitus oblitterantur. Quod si in
 his hæc nostra pagina minorē forte, ac uelim, fidem fe-
 cerit, certe in promptu aderunt testes ad quos te relegē,
 locupletissimi, uidelicet tot & tātā olim uastatā urbes,
 dirutā ciuitates, pstratā Resp. incensi & cōsumpti uici,
 quorū uti hodie uix ullā tātā calamitatis reliquiā, aut
 uestigia uisuntur, ita nec nomina illorū ulla quantūuis
 uetus, & longe deducta historia, sat probe tenet. Quas
 quidem insigneis clades, uastationes, euerfiones, cæte-
 rasq; belli calamitates, nostrā (si quæ sint) Resp. facile
 euaserint, modo ad unam Vtopiēsium reipublicæ nor-
 mam sese adamussim componentes, ab ea ne transuer-
 sum quidem, ut aiunt, unguē recedant. Quod sic demū
 præstantes, tandem re ipsa cumulatissime agnoscent,
 quantū hoc tuum in se collatum beneficium profuerit,
 maxime quo accedente, didicerint, suam Remp. saluā
 incolumē, triumphantē seruare. Proinde tātum tibi suo
 præsentissimo seruatori debiturā, quantū is haud iniu-
 ria promeretur, qui nō tantū aliquem è republica ciuē,
 sed

AD THO. MORVM EPIST:
sed uel ipsam totā Rēp. seruarit. Interea Vale, ac felici-
ter perge nō nihil usq; meditari, agere, elaborare, quod
in Remp. collatum, illi perpetuitatem, tibi immortalita-
tem addat. Vale doctissime, & idē humanissime Mo-
re, tuæ Britāniæ, ac nostri huius orbis decus. Ex ædibus
nostris Mechliniæ, M. D. XVI.

GERARDVS NOVIOMAGVS
DE VTOPIA.

Dulcia lector amas: sunt hic dulcissima quæq;

Vtile si quæris, nil legis utilius.

Sive utrunq; uoles, utroq; hæc insula abundat,

Quo linguam ornes, quo doceas animum.

Hic fontes aperit, recti prauiq; disertus

Morus, Londini gloria prima sui.

CORNELIUS GRAPHEVS AD LECTOREM.

Vis noua monstra, nouo dudum nunc orbe reperto:

Viuenti uaria uis ratione modos:

Vis qui uirtutum fontes: uis unde malorum

Principia: & quantum rebus inane latet:

Hæc lege, quæ uario Morus dedit ille colore,

Morus Londinæ nobilitatis honos.

BASILEAE APVD IOANNEM FROBE-

NIVM MENSE MARTIO.

AN. M. D. XVIII.

ἴνεοδε φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις,

Prudens simplicitas amoris recti.



ὁρθὴ καὶ ἀκατακτάτος ἀγάπη καὶ ἀκατακτάτος

ἀκέραιοι ὡς οἱ περὶ σφαίρας.

IN INCLYTA GERMANIAE BASILEA.

M. D. XVIII.